Hydrophthalmia sive hydrops oculi ... / praeside Burc. Dav. Mauchart ... respondente Christoph. Paulo Beger ... MDCCXLIV.

Contributors

Mauchart, Burchard David, 1696-1751.
Beger, Christoph Paul.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Joh. Dav. Bauhofii atque Joh. Theoph. Franckii, [1744]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/vbm9rupd

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

HYDROPHTHALMIA
SIVE
HYDROPS OCULI.

PERMITTENTE
GRATIOSA FACULTATE MEDICA
PRÆSIDE
BURC. DAV. MAUCHART,
Med. & Chir. D. Har. & Anat. Prof. Ord.
Consiliar. & Arch. Wirt.
DISPUTATIONE VENTILABITUR
PRO LICENTIA
Summos in Medicina Honores & Privilegia Doctoris
rite capessendi,
RESPONDENTE
CHRISTOPH. PAULO BEGER, *Reuttlingensi.*
Die 14. *Febr. An. MDCCXLIV.*

TUBINGÆ,
Typis JOH. DAV. BAUHOFII atque JOH. THEOPH. FRANCKII.

MEDICAL SOCIETY OF

§. 1.

Ulbus oculi vocatur globus ille, tunicis, continentibus, atque humoribus, contentis, in ſphæricam quaſi rotunditatem coactus, orbita concluſus, organum viſus conſtituens continensque.

§. 2.

Bulbi hujus *magnitudo pondusque* pro diverſa hominum adultorum conditione variant tantiſper. Medium calculi tenendo, deprehenditur bulbus, pinguedine muſculisque liberatus, è cadavere, brevi à morte, erutus pendere 147½. grana: Axis ejusdem 11. lineas cum ⅓. & Diameter 11. lineas cum ¼. emetiri. (*a.*)

§. 3.

Maximum compagi *robur fœnerantur* tunicæ *ſclerotica*

(*a*) Petit, Med. Lettre, in 4.to Paris. An. 1724. & in Memoir. de l'Acad. des ſcienc. An. 1728. edit. Amſtel. p. 408. ſeqq. ubi & pondus humor. oculi humani traditur. Determinavit jam antea qq. *Plempius* in ophthalmograph. p. 43. humoris aquei pondus ad gran. iij. vel iv.

ca atque *cornea,* tenaces, validæ, (*b.*) expansioni nimiæ plurimùm renitentes.

§. 4.

Est vero & sic dictis *oculi humoribus determinata quantitas : Aquei* circiter granorum v: *Crystallini* gran. ivß: *Vitrei* gr. civ. Unde quàm *exigua* sit *utriusque* sic dictæ oculi *cameræ capacitas*, nonnisi gr. iv. v. ad summum vj. humoris aquei naturaliter admittens, facile patet?

§. 5.

Paucissimum esse *recens natis* infantibus *humorem aqueum* testatur modò laudatus *Petit* observationibus repetitis. (*c.*) *Variat quantitas* ejus in diversis adultorum subjectis non modo, sed haud raro quoque in binis unius ejusdemque individui oculis. Neque unum eundemque jugiter perstare, sed resorberi veterem atque dissipari, *novumque generari* perpetua secretione, sequentia probant argumenta: Reliquorum corporis nostri fluidorum similis conditio: Humoris aquei evaporabilitas per corneæ poros: Prompta facilisque regeneratio post simultaneam ejusdem evacuationem per vulnus corneæ, seu artificiale, seu casuale, in fistula corneæ, hypopyi operatione &c. Falsum igitur est, quod statuit *Plempius* in ophthalmograph. P. I. C. 16. p. 44. quod nempe semel evacuatus in adultioribus (in comparatione scil. ad ætatem infantilem atque puerilem) fere semper sit irreparabilis.

§. 6.

(*b*) Talem esse corneam nuper demonstravimus in peculiari disp. de hac tunica. Scleroticam alio sistemus tempore.

(*c*) E corneæ crassitie, rugositate, nimisque pauca quantitate humoris aquei deducit Petit causam: cur infantes recens nati non videant distincte? Mem. de l'Acad. An. 1727. pag. 349.

§. 6.

Cameram oculi *anteriorem* terminant cornea atque iris: *posteriorem* uvea, lentisque crystallinæ, propria tunica conclusæ, superficies anterior. *Pupilla*, s. foramen uveæ plus minus rotundum amplumque, constituit medium communicationis utriusque cameræ: Quarum *anteriorem esse ampliorem* posteriore tot evictum est experimentis (*d.*) contra *Woolhusium*, sicut jam olim hoc ipsi coram testatus est Præses.

§. 7.

Qualitates manifestæ humoris aquei hæ sunt: *Color* diaphanus, clarus, aquâ tamen pura minus limpidus: *Substantia* fluxilis, sed lenta tamen & saponacea quasi pinguis. (*e.*) Juniorum animalium fluidior est atque limpidior: *Sapor* atque *odor* nullus. Servatus tamen aliquot dies in vitro putrescit atque fœtet, ut albumina ovi in vitro per octiduum servata.

§. 8.

Humoris hujus è brutis collecti ʒv. (*f.*) stiterunt

 Nuckio,

(*d*) Viror. celeber. Heisteri, Morgagni, Winslovii, Petiti.

(*e*) Galenus comparat humorem aqueum cum ovi albumine: alii etiam hinc albuminosum vocavere. Vocavit tamen & Galenus L. I. de Sympt. caus. c. 2. ὑγρὸν ὑδατοειδὲς; Ast albumen ovi propriis terminis continetur, non diffluit, sicuti humor aqueus. Unde Vesalius, ut galenicam comparationem salvet, prætexit, Galenum intellexisse illam ovi aquam, quæ, dum illud coquitur, putamini, sudoris in modum incumbit: Vel ipsum etiam albumen, virgis aliquandiu, aut aliâs agitatum, & fluxile redditum, quæ plurimorum est interpretatio.

(*f*) Difficulter ex hominum cadaveribus una vice colligeretur suffi-

Nuckio, loc. cit. per *destillationem è retorta*, leni igne, humorem aqueum, in *coagulum album*, sed tenuioris consistentiæ, abeuntem & brevi post *in* plurimas *bullulas* (instar smegmatis hispanici, aqua agitati) mutatum, sed crassioris jam consistentiæ: *aquam* in vas recipiens stillantem, *limpidam* & admodum pellucidam: destillatione ad siccitatem continuata, aquæ destillatæ, sapore & odore omni destitutæ ʒiijß. *caput mortuum* gr. xxij. coloris ex obscuro flavi, tenaciter cohærens, excepta portione exigua friabili, odoris empyrevmatici, salsedinis in ore manifestæ. (*g.*)

§. 9.

Subjectum secretionis hujus aquei humoris in uveæ tam anteriore quam posteriore ponimus superficie: quoniam in pupillæ omnimoda vel constrictione & concretione, vel obvelatione & infarctu per adglutinatam circumquaque, aut impactam cataractam, nihilominus utraque oculi regio, seu camera, humore suo gaudet aqueo.

§. 10.

Vasa, *colatorium speciale*, quæ sint? in diversum abeunt

sufficiens quantitas humoris aquei ad experimentum destillatione faciendum. Analogum, aut non valde diversum supponere licebit brutorum humorem aqueum.

(g.) Ant. Nuck Sialograph. & ductuum aquosor. anatome nova. 8. Lugd. Bat. 1690. p. 140. seqq. & p. 153. seqq. Caput mortuum porro examinare vel elixiviando, vel fortiore igne urgendo, vel aquam destillatam reagentibus explorare neglexit. Confer. quæ Boerhavius tradit de examine chymico albuminis ovi, Chem. P. 2. p. 345. s. ubi monet, salini nihil inesse albumini ante ignis actionem applicatam. Ignis ergo & heic infidus analysta!

eunt authores: aliis arteriarum oculi internarum extremitates: aliis glandulæ, ſed nondum demonſtratæ, in ligamento ciliari: aliis nervi oculi: aliis cryſtallina lens vitreumque corpus, tranſudantia humorem aqueum: aliis vaſa lymphatica: *Nuckio* aquæductus, quos vocat, ſive propagines ramuli arteriæ carotidis internæ, foramine optico egreſſi è cranio in orbitam, & aliquot ramuſculis ſcleroticam perforantis, qui uveam ac iridem exornent, non ſanguinem, ſed lympham, humoris aquei materiem, vehentes: (*b.*) Vaſcula oculorum aquoſa adducentia, quorum in utriusque oculi orbita unus truncus è novo reti arterioſo arteriæ carotidis ortus, in duos ramos diviſus ſcleroticam aliquot locis perfodit, per choroideam pergit, circulum arterioſum uveæ format, ex hoc oblique demittit ramulos, quos *Hovius* vocat vaſa nevrolymphatica, proximos humoris aquei fontes, in tract. de circular. humor. oculi motu.

§. 11.

Præfixa brevitas non ſinit nos immorari excutiendæ, vel dirimendæ huic liti. Supponimus tamen ex æquo, myriades *arteriolarum* & ex harum *lateribus derivatos canaliculos*, diaphanam atque tenuiorem vehentes lympham, in choroidea ac uvea obvios, hujusque præſertim ſic dicto circulô arterioſo, *ſtillare humorem aqueum* inſtar roris in utramque oculi cameram: Ejus vero *portionem* quandam *poris corneæ elabi*, ac *reliquam in* vaſa abducentia,

(*b*) Chrouet, Hovius &c. demonſtravere, quod ductus Nuckii aquoſi non actu vehant humorem aqueum, ſed ſanguinem. Admittuntur tamen pro fontibus, ſ. ſcaturiginibus trium oculi humorum. Vid. Hovii de circ. humor. oculi motu, p. 47.

centia, *lymphatico - venosa resorberi*, sicque humorem aqueum circulari motu jugiter & adferri & referri.

§. 12.

Arteriæ, oculi interiora subeuntes, sunt à carotidis internæ, cranium ingressæ ramulis anterioribus, foramine optico, ac inæquali seu lacero (quod vocat Heisterus: Galli fissuram orbitalem superiorem:) è cranio exeuntibus, & partim cum nervo optico cavum oculi intrantibus, partim hic ibi scleroticam perforantibus, atque tunicis choroideæ, retinæ uveæ, &c. insertis. Ramis hisce carotidis internæ junguntur per anastomosin, circa medium bulbi, rami carotidis externæ orbitales, qui ab ejusdem ramo maxillari interno proficiscuntur.

§. 13.

Venæ sanguinem lymphamque, ex oculo reducendos infundunt partim jugularibus venis, partim sinibus duræ matris, per *Santorini* sic dicta emissaria. (*i.*)

PATHOL. ET SEMIOLOGIA.

§. 14.

Humor *aqueus afficitur p. n.* inquinatione varia, commixto *Sanguine*, in Hypohæmate: *Pure*, in Hypopyo & Empyesi: *Lympha* albicante, lactea, in cataracta cystico-lactea, rupta, vel perforata: *Flavedine* aliquando, in ictericis: *Filamentis*, atomis albidis, griseis, nigricantibus, in cataracta incipiente membranacea, & separatis per

(*i*) De his arteriis venisque plura vide in Winslow Expos. anat. Halleri Icon. nervor. & arteriar. oculi: Taylor mechanisme de l'oeil.

per ictum, contusionem, moleculis nigris ex uveali humore fusco-nigro: *Incrassatione*, lentore, spissitudine: aut *nimia tenuitate*, fluxilitate: Sed & *nimia quantitate*, in *Hydrophthalmia*. De inquinatione humoris aquei in hypopyo, hypothæmate, ictero, jam tractavimus in præmissis dissertationibus. Jam disseremus de Hydrophthalmia.

§. 15.

Hydrophthalmia est morbus conformationis bulbi ocularii, in magnitudine aucta, expansione p. n.li nimia tunicarum ejus omnium, in hemisphærio oculi anteriore potissimum, sicque aucta ejusd. dimensione in longum, latum & profundum, à specifica causa, humore scil. aqueo, p. n. aucto, copiosiore & stagnante in sic dictis oculi cameris, anteriore ac posteriore. Dicitur ἀπὸ τοῦ ὕδωρ aqua, & ὀφθαλμία, ocularia ægritudo. Audit etiam *hydrops oculi*: Die Augen-Wassersucht: Gallis *Hydropisie de l'oeil*.

§. 16.

Hydrops hic oculi similis est illi, quem *Fabricius Hildanus* vocavit *Hydrocardiam*, serum in cavo pericardii nimium: aut dilatationi & protuberantiæ sacci lachrymalis, quam *Anellus* appellavit *Hydropem sacci lachrymalis*: aut *Hydrocephalo* interno, colluviei serosæ in ventriculis cerebri p. n.li &c. Unde appellatio Hydropis ocularii ciuitate medica donatur, quamvis aliâs hydrops prædicetur de illis l. cavitatibus majoribus, l. interstitiis, quæ naturaliter nullo liquore, saltim notabili, irrigantur, uti sunt hydrops pectoris, ascites, anasarca, hydrocele.

§. 17.

Ab hydrophthalmia *differunt*: *anasarca palpebralis*, quum palpebra l. superior l. inferior, l. utraque simul,

 sero

ſero ſub cute turgent, bulbo oculi in dimenſione juſta ſervato. Anaſarca, ſeu *œdema adnatæ tunicæ* ſero turgentis & totum oculi hemisphærium anterius aliquando obducentis, & linearum aliquot craſſitie prominentis, aut exiguum ſaltem in medio locum vacuum relinquentis, per quem tranſpicit cornea. Diſtinguuntur facile pariter *phlyctænæ*, bullæ ſero limpido infarctæ, majores minoresve in adnata, circulo corneæ, imo ſub ipſa epidermide corneæ.

Illam vero *corneæ* l. particularem, in aliqua duntaxat ſui regione, l. univerſalem, in tota ſuperficie, *protuberantiam*, ex arroſis vulneratisve ejusdem lamellis ſive externis, ſive internis, atque ſic reliquis, nondum eroſis, extrorſum protruſis atque ab humore aqueo propellente turgeſcentibus, *ad herniæ* & prolapſus *corneæ ſpeciem* magis *referimus*.

§. 18.

Bulbi ocularii ex orbita *prolapſus*, procidentia, Græcis *Celſoque* proptoſis, ecpiesmus ſ. expreſſio, exophthalmia denotant bulbum oculi ſede ſua motum, forâs ex orbita prominentem, extra palpebras propendentem, bulbo vel in naturali magnitudine, ſaltem aliquandiu, perſtante, vel eâdem aucta, plus minus notabili. Si bulbus inſigniter, inſtar oculi bovini, turgeſcat, vocatur *Buphthalmus*, ſ. *Buphthalmia*, à βοῦς, bos & ὀφθαλμὸς, aut particula intenſiva βα.

§. 19.

Solet *in hydrophthalmia bulbus* omnino etiam ad ultimum *ſic intumeſcere*, ut buphthalmiam conſtituat; ſed non omnis buphthalmia eſt à vitio abundantis aquei humoris: Imo mole auctus oculus ſe proripit è ſede orbitali forâs, atque incurrit exophthalmiam. Sunt vero & pro-

prolapſus ocularii bulbi, juſtam dimenſionem ſervantis, ſine buphthalmia. Hinc male confunduntur à nonnullis authoribus.

§. 20.

Hydrophthalmiæ *diagnoſis*: Succeſſivum globi ocularii augmentum, naturalem dimenſionem ſuperans $\frac{1}{3}$ parte, l. dimidia, l. altera tanta: Turgida tenſio: Cornea plus ſolito elevata & prominula: Iris autem profundior, à ſuperficie interna corneæ remotior: (*k.*) Pupilla immobilis, aliquando amplior, aliâs ſtrictior, anguſtior: Viſus ab initio illibatus, ſucceſſive debilior, obſcurior: Maxime cum, ut ſubinde fit, caliginoſa corneæ obnu-

 bilatio,

(*k.*) Innuunt hæc omnino ſpatium anterioris oculi cameræ multo auctius ampliusque, majorique humoris aquei quantitate repletum, quam naturaliter ſolet. Verùm, ſicuti hæc major liquoris copia nihil viſui præjudicat, ita neque lenti cryſtallinæ ſitum infert mutatum, & depreſſionem verſus centrum oculi, quamvis ſupponatur, proportionate majori humoris aquei quantitate ſimul irrigari ſecunda quoque oculi regio: Neque figuram cryſtallini mutat in ſuperficie ſua anteriore, è convexa in planam; è quibus phænomenis rationem deduxit cel. olim Scheidius in diſp. de viſu vitiato, Argent. 1676. p. 49. cur objecta, in tali oculi conſtitutione, videantur minora, quam revera ſunt? Impugnavit nuper Scheidium Dom. de Mours, Med. Paris. in obſervat. hiſtoriæ naturalis & morbor. oculi, adjectis verſioni gallicæ obſervationum medicar. Societatis Edimburg. in Scotia; Quamvis autem Scheidius non tam provocet ad pondus humoris aquei gravitans in ſuperficiem lentis cryſtallinæ, complanando eam, uti videtur Scheidii verba intellexiſſe Dn. de Mours, ſed ad tenſionem proceſſuum ciliarium, ab exuberante aquei copia, aut affluxu humoris inductam, unde cryſtallini ſuperficies convexa quadantenus explanetur; Tamen & hæc proceſſuum ciliarium

bilatio, humorisque aquei turbiditas ſocientur: aliquibus dolor tenſivus, obtuſus circa fundum oculi, licet perpetuus fere, valde tamen mitis, aliis multo gravior eſt cum ejusdem lateris affecti hemicrania, ſtupore partium faciei, aliquando emphyſemate totius lateris & odontalgia, inſomniis. Accedunt ſub molis ulteriore incremento exophthalmia, illacrymatio, ectropium.

§. 21.

Turgeſcentia & *incrementum* p. n.le *humoris vitrei* adauget itidem notabiliter dimenſionem oculi, duramque infert ei tenſionem; ſi tamen absque juncto humoris aquei accidat incremento, hinc facile diſtinguitur, quod teſte *Woolhuſio*, humoris vitrei limbus circa cryſtallinam lentem elevatus huic umbram offundat, atque ſtrabismum verſus ſuperiora efficiat, duritiem extraordinariam bulbo conciliet, doloremque obtuſum cum notabili viſus diminutione inducat. Iris procul dubio tunc etiam ad corneam magis appropinquabit, & convexitatem induet, verè talem, ſed morboſam omninò. (*l.*)

At,

rium ſuppoſita tenſio per humorem aqueum exuberantem, in noſtro hydrophthalmiæ caſu videtur *nec tanta* eſſe, quia maxima humoris aquei pars in anteriore camera continetur, & corneam magis, quam uveam, diſtendit, tum quoque portio humoris aquei in camera poſteriore concluſa æquilibrat unà c. humore vitreo anteriorem quantitatem; *Nec*, ſi vel maxime concedatur, tantæ efficaciæ, quæ anteriorem lentis cryſtallinæ ſuperficiem convexam queat complanare, ſaltem notabiliter, quoniam proceſſus ciliares non inſeruntur in cryſtallinam lentem, ſive tunicam ejus, ſed in tunicam vitrei corporis, in peripheria lentis cryſtallinæ.

(*l*) Naturaliter, in ſano ſtatu, iridem non eſſe convexam, ſed planam ſolidis demonſtravit argumentis Petit, Medicus. Memoires de l'Acad. des ſcienc. An. 1728. p. 307. ſeqq.

At, si p. n.le *augmentum humoris aquei vitreique concurrat*, quod à priori, & per *Nuckii* observationes in Sialographia nova p. m. 123. fieri posse ac solere constat, *difficilior* est *diagnosis*, nisi, è mole nimia, velocius increscente, ac insigni duritie & strabismo, utriusque vitii conjunctionem hariolari liceat.

Neque vero quoad curationem magni interest hoc discrimen. Ad summum enim paracentesis, in sclerotica debite instituta, unâ fidelia duos parietes dealbat.

§. 22.

Prognosis. Pedetentim increscit ordinario moles per menses, atque diu subsistit in certo notabili expansionis gradu. Rarissimè diminuitur sponte. Medicamentis etiam difficulter dissipatur, si malum sit inveteratum, &, si decreverit, visus tamen plus minus labefactatur. Si humor aqueus sit concretus, congelatus quasi, turbidus, cataractam mentiens, tenuem facit curationis spem; Si vero liquidus, fluidus atque limpidus perstiterit, pleniorem. Facilior etiam est curatio hydrophthalmiæ è vitio adducentium vasorum, quam abducentium. Accedente interna externaque inflammatione partes oculi internæ facile destruuntur suppuratione, aut labefactantur, cornea exeditur, crepat, atque sentinam humorum eructat, nisi hæc præveniat tempestiva incisio, sive punctio. Hæc vero aliquoties ordinario repetenda est, quoniam post unam alteramque punctionem bulbus, qui hinc subsederat, novum capit incrementum, donec tandem intra debitæ magnitudinis limites consistat, vel in minorem se contrahat globulum, id quod satis est ordinarium post prægressam suppurationem internam & synchysin, s. con-

 fusionem

fusionem destructoriam trium oculi humorum, præcipue vitrei. (*m.*)

§. 23.

Hydrophthalmiam retulimus §. 15. ad genus morborum conformationis in magnitudine aucta. *Causa proxima* est humor oculi aqueus stagnans, abundans, distendens corneam atque scleroticam. Potest vero harum quoque laxitas cum atonia conspirare. Crassior aliquando turbidusque simul fit aqueus humor ex ipsa stagnatione, & tenuioris suæ portionis resorptione in vasa abducentia, & diffla-tione per corneæ poros. Capiunt vitium, ni moveantur, aquæ! Hinc etiam in hydrope pectoris, ascite, hydrocele serum extravasatum non flavi tantum & lixivioſi, sed & varie turbidi, virideſcentis, albeſcentis &c. haud raro conspicimus coloris, & consistentiæ crassioris, viscidæ, ramentosæ, feculentæ &c. Propter hanc p.n.lem suam crassitiem præcludit sibi consuetam exitus viam, quam in statu naturali habet ex parte, nimirum per corneæ poros.

Causam vero *stagnationis* & *augmenti humoris aquei proximam* ponimus in vasis ejus abducentibus obstructis, compressis, adstrictis, superfluum non referentibus §. 11. 13. dum nihilominus vasa adducentia vel naturalem aquei quantitatem, vel & solito majorem continuo afferunt effunduntque in sic dictas oculi cameras.

§. 24.

Sed, abducentibus vasis salvis, *causa etiam inhærere* potest *vasis adducentibus* laxis, nimia humoris, ejusque serosi nimis, fluxiliorisque jugiter affluentis quantitate irrigatis, ut abundanti sic humori aqueo satis absorbendo revehendoque imparia fiant reducentia vasa, naturaliter constituta.

Difficultate non caret distincta certaque *diversæ* hujus *causæ diagnosis*. Anastomosin quidem morbificam vasorum adducentium, atque lympham fluxiliorem, copiosam arguere videntur ætas puerilis, temp. phlegmaticum, prægressi frequentes catarrhi tenues, salsi, aut ophthalmia serosa, humoris aquei pelluciditas consueta, visui

(m) De eventu hujus operationis plura dabimus proxima occasione, ubi de paracentesi ocularia agemus.

visui naturali similior, velox hydrophthalmiæ incrementum, ejusque facilior promtiorque curatio.

Vasorum reducentium culpam produnt dyscrasia humorum viscida, catarrhi crassi, gramiæ viscidæ, crustosæ, humor aqueus per corneam transparens turbidus, visus obnubilatus.

THERAPIA.

§. 26.

Indicationes: 1.) Resolvere, discutere obstructiones vasorum abducentium, s. revehentium humorem aqueum. 2.) Attenuare, corrigere cacochymiam viscidam, crassam impuram, ut totius massæ sanguineæ, sic in specie humoris aquei stagnantis. 3.) Acrasiam serosam, fluxilem, divertere, revellere, evacuare per alia emunctoria, alvum, renes, cutem, nares &c. dehinc incrassantibus, mucilaginosis, absorbentibus figere. 4.) Dissipare stases in oculo inflammatorias, in- & - externas. 5.) Tunicis oculi, scleroticæ atque corneæ præsertim, robur addere, blandam adstrictionem conciliare, ut & ipsæ reagant fortiusque repellant stagnantem aqueum humorem, ac hydrophthalmiæ recidivam impediant. 6.) Humorem aqueum abundantem, impurum, si medicamentis non auscultet, evacuare per chirurgicam operationem, oculi paracentesin. 7.) Si interna suppuratio sit inevitabilis, hæc emollientibus & paregoricis promovenda pus tempestive emittendum, quemadmodum fit l. in hypopyo, l. empyesi. (*n.*)

§. 27.

Subordinantur hæ sibi *indicationes* pro ratione morbi, causarum, incrementi, durationis, præmissorum jamjam remediorum, tolerantiæ ægroti &c. suum ergo cuique tribuet dogmaticus ophthalmiater, justoque singula adhibebit modo ac tempore, & primo quidem è *Fonte Dietetico* in genere præcipitur aër tepidus, purus: victus ἔυχυμος καὶ ἔυπεπτος, modicus, specialiter vero in casu intemperiei viscidæ humorum, aperitivus, tenuis, incisivus, aromaticus, contra serum fluxile nimis ac tenue, incrassans magis, gelatinosus. Ibi potus vinosus, aromaticus, hîc aquoso-mucilaginosus. Motus corporis placidus. §. 28.

(n) Post evacuationem puris quid sit agendum, servamus ad operat. chir. abscessus interni oculi, sepedi, extirpationis oculi.

§. 28.

E fonte pharmaceutico: *Evacuantia*, laxantia, purgantia per epicrasin, vel repetita brevibus intervallis: Pilulæ præsertim è MP: de Succin: Crat. ☿: d. rite parat. Resin: jalap. ol: dst: anis. Diaphoretica, Diuretica cum incisivis remixta: Errhina, sialogoga, masticatoria.

Ex *Alterantium* classe, Resolventia, Discutientia, Aperitiva, interna: Infusa theiformia, Decocta, è rad: angelic. Scorzon. Pimp: min. Hirundinar. Carlin. Valer. Sarsæp. L: Sassafr. Sem: fœnic. &c. Ess: pimpinel. Succin. Scord. L: Sassaf. TR. ♁: acr. Mixt: S: L: TR: ♂: ♀: Lud. - ♂: cydon. &c. Millepedes, Rad. valer. &c. in pulvere.

Externa: discutientia in sacculis humidis atque siccis, toties in præmissis dispp. laudata. Maritanda cum leniter deficcativis, adstrictivis. In casu autem suppurationis oculi internæ cataplasmata emollientia, paregorica.

§. 29.

E *fonte chir. generalia* primo huc spectant illa præsidia, quibus materia morbifica ab oculis divertitur, revellitur, derivatur, evacuatur per clysmata stimulantia, purgantia, vesicatoria, fonticulum in artubus, setaceum nuchæ & auricularum, hirudinum applicationem post auriculas, ad tempora, venæsectionem pedis, brachii, cucurbitulas scarificatas in dorso, nucha: *Specialiter* vero & efficaciter per *Paracentesin*, perforationem, punctionem oculi, vel in sclerotica, vel cornea, atque simultaneam sic evacuationem humoris aquei, superabundantis. Sub incudem vocabimus aliâs hoc thema peculiari dissertatione.

§. 30.

Cautelæ practicæ: Non opponenda statim in principio sunt adstrictiva fortia topica. Hæc magis quadrant post præmissa resolventia & depletum paracentesi oculum. Inepta, frustranea, imo periculosa est prolapsi oculi repositio tentata, dum bulbus adhuc valde turget atque tumet. Fidem suam nunquam temere adstringat ophthalmiater de visu heic servando integro, neque paracentesin eo differat usque, donec omnia in oculo susque deque mota sint.

Breves è voto Domini Respondentis fuimus, modo non simul obscuri!

T A N T U M!